This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lv
25
65

JV 25.65

Harvard College Library

FROM

By Exchange

Lw 25.65

DE VIBII SEQUESTRIS LIBELLI GEOGRAPHICI FONTIBUS ET COMPOSITIONE

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

ALBERTUS PUESCHEL
RAGUHNENSIS

HALIS SAXONUM
TYPIS WISCHANI ET BURKHARDTI
MCMVII

L n 25.65

Harvard College Library
NOV 27 1907
From the University
by exchange

DE DISSERTATIONE PROBANDA
AD PHILOSOPHORUM ORDINEM RETTULIT
GEORGIUS WISSOWA

PARENTIBUS MEIS

S.

Notum est inde a saeculo quarto exeunte grammaticos graecos et virorum in unaquaque arte vel virtute excellentium et naturae artisve operum praeclarorum catalogos maxime in usum discipulorum composuisse, qui catalogi mox canonum instar esse coeperunt. Talium canonum exemplum vetustissimum laterculus Alexandrinus est saeculi a. Christ. n. secundi ante hos paucos annos in Aegypto erutus et a Dielesio cum commentario sagacissimo editus.[1]) Cetera, quae aetatem tulerunt, exempla praeter disiecta membra fabulis Hyginianis similibusque scriptis adnexa ad ultima antiquitatis tempora vel adeo medium aevum pertinent. Sunt autem duo[2]): Nicetae episcopi Serrensis de marium, fluviorum, lacuum, montium, urbium, gentium, lapidum nominibus rhythmi saec. XI conditi[3]) et Vibii Sequestris de fluminibus, fontibus, lacubus, nemoribus, paludibus, montibus, gentibus libellus saeculi IV exeuntis vel V ineuntis. De hoc altero hic mihi disputare in animo est.

---

[1]) in actis academiae Berolinensis maioribus a. 1904.

[2]) nam „catalogus iste . . . . nominibus hominum, gentium, fluviorum, deorum, . . herbarum, . . fontium plenus“ (adnot. ad VII 646), quem Ti. Claudius Donatus Vergilii interpres se conditurum esse profitetur, num umquam editus sit, in dubio est.

[3]) ed. Leop. Cohn in annal. philol. vol. CXXXIII p. 649 sqq.

I.

Digna est, quae post parum accuratam virorum doctorum operam subtilius pertractetur, neutiquam exilis quaestio, quae est de Vibii Sequestris libelli geographici fontibus; quam quaestionem Franciscus Hessel [1]), Ieremias Iacobus Oberlin [2]), Conradus Bursian [3]), quamvis laudabilem in ea collocaverint operam, tamen non universam solverunt [4]). Hessel enim atque Oberlin Vibium magnae lectionis virum sibi finxerunt eosque, qui ad Vibium faciunt, et poetarum et enarratorum locos protulisse satis habuerunt; et quamquam nomina Vibiana non solum ad Romanos, sed etiam ad Graecos auctores reduxerunt, tamen non paucorum nominum fontem monstrare non potuerunt. Quamobrem et Hessel [5]) et Oberlin [6]) Vibium etiam aliis atque iis, qui nobis praesto essent, poetis usum esse contenderunt. Post Oberlinii editionem saeculum fere praeteriit sine fructu, quod ad Vibianorum fontium quaestionem attinet; nam Ludovicus Baudet, [7]) quidquid Oberlin effecerat, in linguam Francogallorum transscribens nihil in hac quaestione solvenda profecit. Hesselium Oberliniumque superavit Conradus Bursian, primum quia in textu recensendo unum solum ex viginti codicibus ab Oberlinio l. l. p. X. sqq. nominatis est secutus, dico codicem Vaticanum n. 4929 saec. X duabus manibus correctum [8]) (altera ipso librario non multo recentiore, altera saec. XIV), ex quo ceteros omnes codices fluxisse intellexit, deinde quod Vibium per-

---

[1]) Rotterdami a. 1711.

[2]) Argentorati a. 1778.

[3]) in programm. academ. Turic. a. 1867.

[4]) postremus Vibii libellum Alexander Riese in publicum dedit in libro, cui inscribitur „geographi latini minores“ Heilbronnae a. 1878, fontes Vibianos non tractans.

[5]) l. l. praefat.

[6]) l. l. p. IX.

[7]) Baudetii Vibius Sequester prodiit Lutetiis Parisiorum a. 1843.

[8]) Bursian l. l. p. XI sq.

paucos eosque Romanos fontes adiisse primus perspexit: Vergilii Eclogas, Georgica, Aeneidem, Silii Italici Punica, Lucani Pharsalia, Ovidii metamorphoses et fastos; quibus an addenda sint Statii Thebais Ovidiique epistulae ex Ponto, Bursianus dubitat. Cui Bursiani opinioni vehementer repugnavit Hermannus Blass[1]) non minus propter prooemii vocabula *apud plerosque poetas* Vibium tam exiguum fontium numerum adiisse negans, quam ea de causa, quod Bursianus duodequadraginta nominum (re vera sunt undequadraginta) fontem indicare non potuit. Sed Blassium illa docentem audiendum non esse neminem spero fore, quin intellegat. Nam etiamsi Vibius in libelli prooemio se iactet verbis *quanto ingenio ac studio, . . apud plerosque poetas fluminum mentio habitast* et *qua tamen persequi potui,* tamen facile fieri posse, ut is ex paucis fontibus sua hauserit, hae causae redduntur duae: primum cum ex suo quidque tempore opus sit intellegendum, respiciendum est Vibium, ut erat compilator indoctus, eos tantum poetas, qui illis temporibus plurimum lectitabantur, compilavisse; deinde prooemii verba *quod ipsi tibi non inutile factum scio fore* et *praesertim cum professioni tuae sit necessarium* neglegenda non sunt; hinc enim clare patet Vergilianum, Vibii Sequestris filium, fuisse magistrum, in cuius usum Sequester fluminum, fontium, lacuum, nemorum, paludum, montium, gentium nomina ex poetis ab illo ipso tractandis desumpta composuit.

Nunc propius accedamus ad Vibii fontes a Bursiano indicatos, qui sunt Vergilii Eclogae, Georgica, Aeneis, Silii Italici Punica, Lucani Pharsalia, Ovidii metamorphoses fastique. Iam ipse Bursianus agnovit Vibium saepius adiisse Vergilium quam Lucanum Lucanumque saepius quam Ovidium ac Silium. Qua in re praeter nomina ipsa nihil aliud nisi Vibii ad singula nomina adnotationes respiciebat; quamobrem Bursianum, cum inter Vibii verba illorumque poetarum concentus esse ei videbatur, non unum solum

---

[1]) Mus. Rhenan. vol. XXXI p. 133 sqq.

fontem, sed duo vel tres adnotavisse consentaneum est: cf. flumina Anapum (Ov. met. V 411 sqq.; Sil. Ital. XIV 515, al.), Baetim (Lucan. II 589; Sil. Ital. III 405), Eridanum (Verg. Georg. IV 372 c. Philargyr. nota; Lucan. II 409 sqq.), Hypanim (Verg. Georg. IV 370; Ov. met. XV 285), Maeandrum (Serv. ad Verg. Aen. V 251; Ov. met. VIII 162 sqq.; Sil. Ital. VII 139 sq.). Sed hac in re non semper sibi constitisse Bursianum nonnulla exempla e multis demonstrent; nam flumina Ararem, Almonem, Bagradam, Pactolum, Sperchium ad Sil. Ital. III 451 sqq., Ov. fast. IV 337 sqq., Sil. Ital. VI 140 sqq., Lucan. III 209, VI 367 Bursianus refert, cum nihil impediat, quominus tam ex Lucan. VI 475 sq. I 600. IV 568; Verg. Aen. X 142 Georg. II 487 manaverint quam ex illis Bursianeis locis.

Nunc autem quaeritur, num ea sit fontium Vibianorum investigandorum ratio sola. Cui quaestioni solvendae aptissima est observatio, quem locum in Vibiano libello singula nomina teneant. Bursianus enim, si, quem locum singula in singulis litteris nomina tenerent, respexisset, unum solum fontem singulis nominibus adnotavisse satis habuisset. Nam Vibius, quamquam in prooemio verbis *in litteram dirigens* et *in litteram digesta* se nomina ad litterarum ordinem disposuisse dicit, tamen ex consuetudine veterum[1]) nullius nisi primae litterae rationem habet, intra singularum vero litterarum fines secundum fontium ab ipso adhibitorum ordinem nomina digerit. Quod ad quaestionem de Vibii fontibus solvendam magni est momenti. Ordientes enim a poetis plurimum a Vibio in usum vocatis, omnia fere eorum nomina semper eodem singularum litterarum loco redire intellegimus: Vergilii nomina in litteris singulis ineuntibus Lucanique nunquam fere nisi post nomina ex Vergilio hausta leguntur. Sed non solum separatim Sequester Vergilii nomina et Lucani enumerat, sed etiam in singulis utriusque poetae nominibus

---

[1]) cf. O. Mueller, praefat. ad Festum p. XVI.

enumerandis singulorum operum (dico Eclogarum, Georgicorum, Aeneidos) librorumque ordinem servavit, ita ut appareat Vibium in perlegendis Vergilii Lucanique carminibus secundum librorum ordinem singula nomina, quotcumque ad consilium suum apta esse videbat, enotavisse in singulaque capita inseruisse. Quod ut clare appareat iam ordine describam Vibiani indicis lemmata appositis iis Vergilii Lucanique locis, quos ante oculos habuisse compilatorem certum est, ea nomina, quae ex aliis fontibus desumpsit, nunc quidem sine adnotatione nuda enumerans.

Flumina.

Achelous	Verg.	Georg.	I 8 sq.
Arar	„	Ecl.	I 61 sq.
Amphrysus	„	Georg.	III 2
Alpheus	„	„	III 19
Ascanius	„	„	III 270
Achates			
Acheron	„	„	II 492; Aen. VI 295
Avens			
Anien	„	„	IV 369; Aen. III 80. VII 683
Allia	„	Aen.	VII 717
Araxes	„	„	VIII 728
Atesis	„	„	IX 680
Amasenus	„	„	VII 685. XI 547
Aufidus	„	„	XI 405
Alentus			
Asinius			
Amenanus[1])			

[1]) librariorum culpa flumina Asinium Amenanumque confusa esse Bursianus agnovit; codicis V lectio, quae est *Asinius Catinae in litore Tauromenitanorum defluit,* mutanda videtur in

Asinius in litore Tauromenitanorum defluit;
Amenanus Catinae.

Anapus		
Alabon		
Acis		
Atax	Lucan.	I 463
Atur	„	I 420
Almon	„	I 600
Albis	„	II 51 sq.
Aous		
Alto		
Arimaspa		
Aeas	„	VI 361
Achelous[1])	„	VI 363
Anaurus	„	VI 369
Apidanus	„	VI 373
Asopus	„	VI 374
Acragas		
Aniger		
Apud Cicones flumen		
Aternus.		
Benacus	Verg. Georg.	II 160
Baetis	Lucan.	II 589
Bagrada	„	IV 588
Barbanna		
Bactrus	„	III 267

---

[1]) codicis V lectionem obscuram *Achelous ex indo monte Perrhebiorum fines in Maliacum mare decurrit, qui Aetoliam ab Acarnania dividit* mutandam esse in *Achelous in Maliacum mare decurrit, ⟨alius atque ille,⟩ qui ex Pindo monte ⟨per⟩ Perrhebiorum fines ⟨decurrens⟩ Aetoliam ab Acarnania dividit* Bursianum fugit, qui Alexandro Riesio sequente ita scribit: *Achelous ex Pindo monte ⟨per⟩ Perrhebiorum fines in Maliacum mare decurrit, ⟨alius atque ille,⟩ qui Aetoliam ab Acarnania dividit.* Quod Sequester dicit Acheloum in Maliacum mare decurrere (re vera Sperchio in Maliacum mare decurrenti prope Lamiam miscetur), mirari non debemus propter ea, quae infra nobis dicenda sunt de Lucani interpretis fide.

Brictates[1]).	
Caystrus	Verg. Georg. I 383 sq.
Camicus	
Calos[2])	
Cocytus	„ „ III 38
Crinisus	„ Aen. V 38
Calor	
Chrysas	
Cydnus	
Cirta	
Casilinum	
Crustumium	Lucan. II 406
Cephisus[3])	„ III 175
Cinybs	
Crathis	
Clitumnus	Verg. Georg. II 146.
Danubius	
Drinus.	

---

[1]) verba male corrupta *Brictates ex Thymaro monte Arino miscetur* Hermannus Blass recte opinatur corrigenda esse in *Brictates ex monte Carno Timavo miscetur.* Timavus enim apud Aquileiam in mare Adriaticum infunditur Alpesque Carnicae, ad quas mons Carnus videtur respicere, supra Aquileiam ad septentriones spectant.

[2]) Apoll. Rhod. Argon. IV 305 de Danubii ostio, quod vocatur *καλὸν στόμα*, loquitur, quod fortasse idem est atque Vibii *Calos.* Bursiani opinio *Calos* mutandum esse in *Cales* (Ov. ep. ex Pont. IV 10,47) reicienda est, cum Sequester Ovidii epistulas ex Ponto non adierit; quod patet inde, quod epistularum ex Ponto plura nomina et praecipue libri IV a Vibii libello absunt [sunt autem fluvii Penius (IV 10,47), Parthenius (10,49), Cynaspes (ibid.), Tyra (10,50), Borysthenius (10,53), Dyraspes (ibid.), Melanthus (10,54)], quam ut fieri possit, ut Sequester hunc fontem adierit.

[3]) propter hunc unum amnem, num Statii Thebais (VII 348 sq.)

Coryciumque nemus propellentemque Lilaeam
Cephisi glaciale caput

a Vibio compilata esset, Bursianum non iure dubium fuisse patet inde, quod flumen Cephisus locum tenet inter flumina ex Lucano arcessita (dico Crustumium II 406 et Cinybem schol. ad IX 787).

Enipeus	Verg. Georg. IV 368. Lucan. VI 372
Euenus	Lucan. VI 366 sq.
Eufrates	Verg. Georg. I 509. IV 561
Eridanus	„ „ I 482. IV 372
Eurotas	„ Aen. I 498
Erasinus	
Esia.	
Faneus	
Fabaris	Verg. Aen. VII 715.
Ganges	„ Georg. II 137
Galaesus	„ „ IV 126
Gallus	
Gela	„ Aen. III 702
Genusus	Lucan. V 462.
Hebrus	Verg. Ecl. X 65
Hermus	„ Georg. II 137
Hiberus	„ „ III 408
Hydaspes	„ „ IV 211
Hypanis[1])	„ „ IV 370

---

[1]) et Hypanim ex Verg. Georg. IV 370 et Oaxem ex eiusdem Ecl. I 65 manavisse ex fontium stabili ordine elucet atque Vibii de his fluminibus glossae, quae sunt de Hypani „qui, ut ait Gallus,

uno tellures dividit amne duas:

Asiam enim ab Europa separat“ et de Oaxe „Varro hoc docet:

. . geminis capiens tellurem Oaxida palmis“,

non tam Gallo Varronique ipsis, ut Blassius putat (l. l. p. 134), quam commentario in Vergilium composito deberi Bursianus recte opinatur (l. l. p. IV), praesertim cum ea, quae Servius de Oaxe flumine ad eum, quem dixi, versum adnotat, optime congruant cum verbis Vibianis: „. . ut Varro ait:

quos magno Anchiale partus adducta dolore
et geminis capiens tellurem Oaxida palmis
scindere dicta;“

sequitur enim in his poetis citandis Sequester morem compilatorum, qui nomina fontium ab ipsis adhibitorum silentio praetereuntes tamen, ut opera sua ex antiquis auctoribus videantur manavisse, scriptores in fontibus suis commemoratos nominant.

Halys	Lucan.	III 272
Helorus	Verg. Aen.	III 698
Himella	„ „	VII 714
Hermus[1])	„ „	VII 721
Herbesus		
Himera		
Hypsa		
Hipparis		
Hermus	Lucan.	III 210
Hapsus	„	V 462.
Indus		
Isara	„	I 399
Isamnus		
Ilerda	„	IV 13
Inachus	„	VI 363.
Kaicus	Verg. Georg.	IV 370.
Lyncestius		
Lethe	„ Aen.	VI 714
Liris		
Lycus	„ Georg.	IV 367
Liger		
Lycastus		
Lethaeus.		
Mincius	„ Ecl.	VII 12 sq.
Maeander	„ Aen.	V 251
Mosella		
Minio	„ „	X 183
Metaurus	Lucan.	II 405
Macra	„	II 426
Mathis		
Marsyas	„	III 207
Melas	„	VI 374.

---

[1]) pro codd. lectione *Haemus Lyciae* scribendum videtur *Hermus Lydiae* ex Lucan. III 210.

Nilus	Verg. Georg. IV 288
Nar	„ Aen. VII 517
Numicus	„ „ VII 150
Niphates	„ Georg. III 30. Lucan. III 245.
Oaxes	„ Ecl. I 65
Orethus	
Orontes	Lucan. III 214.
Padus	
Permessus	Verg. Ecl. VI 64
Peneus	„ Georg. IV 317
Phasis	„ „ IV 367
Pantagias	„ Aen. III 689
Pitonius	
Pactolus	„ „ X 142
Phacelinus	
Pisaurus	
Phoenix	Lucan. VI 374
Pachynus	„ VII 871.
Rhenus	Verg. Aen. VIII 727
Rubicon	Lucan. I 213 sq.
Rutuba	„ II 421 sq.
Rhodanus.	
Strymon	Verg. Georg. I 119 sq. IV 507
Sequana	
Sperchius	„ „ II 487
Silarus [1])	„ „ III 146
Selinus	„ Aen. III 705
Sagaris	
Sebethus	

[1]) Sperchius Selinusque fluvii ex Vergilio sumpti probabile reddunt flumen quoque inter eos positum ex eodem auctore fluxisse; qua de causa Bursiani coniectura, quae est *Sybaris* (Ov. met. XV 315) pro codicis V lectione *Sirapus*, procul abicienda est. Ne mireris Silarum flumen in Vibii libello bis legi, cf. flumen Hermum, quod vel ter legitur.

Sarnus[1])	Verg. Aen. VII 738
Symaethus	„ „ IX 584 sq.
Siler	Lucan. II 426
Sicoris	„ IV 14
Sason	„ II 627. V 650.
Tigris	Verg. Ecl. I 62
Tauromenius[2])	
Turia	
Tanager	„ Georg. III 151
Thybris	„ „ IV 369; Aen. VIII 330 sqq.
Tanais	„ „ IV 517
Thermodon	„ Aen. XI 659
Thrasymenus	
Thapsus	
Triocala	
Thermus	
Taygeta	Lucan. V 52
Titaressus	„ VI 376 sqq.
Vulturnus	Verg. Aen. VII 729
Virbius	„ „ VII 761 sqq.
Ufens	„ „ VII 802
Varus	Lucan. I 404
Ululeus.	

---

[1]) codex V exhibet *Sarnus Nuceriae, ex Sarone fluvio Hadriae, per Campaniam decurrens.* Scribendum videtur *Achaiae* pro *Hadriae;* cf. Serv. not. ad v. c.: „Sarrastis populos] populi Campaniae sunt a Sarno fluvio. Conon in eo libro, quem de Italia scripsit, quosdam Pelasgos aliosque ex Peloponneso convenas ad eum locum Italiae venisse dicit, cui nullum antea nomen fuerit, et flumini, quem incolerent, Sarro nomen imposuisse ex appellatione patrii fluminis et se Sarrastas appellasse. Hi inter multa oppida Nuceriam condiderunt.“ Peloponnesus autem erat provinciae Romanae Achaiae pars.

[2]) ea quae sunt *εὐσεβῶν χώρα dicitur* a manu saec. XIV addita e textu sunt eicienda. Enuntiati corrupti *Tauromenius inter Syracusas et Messanam, a quo oppidum Tauromenium, quod oppidum* * * * quae postrema verba fuerint, nescimus.

Xanthus Troiae	Verg.	Aen.	I 473
Xanthus Lyciae	„	„	IV 143.

Fontes.

Aganippe	Verg.	Ecl.	X 12
Acidalia	„	Aen.	I 720.
Clitumnus	„	Georg.	II 146
Clanius	„	„	II 225
Castalius	„	„	III 293
Clitor			
Camenarum.			
Dirceus.			
† Essus phodo[1]).			
Gargaphie.			
Hippocrene[2]).			
Inessa.			
Libethris	„	Ecl.	VII 21
Liriope.			
Menais.			
Spandeus			
Salmacis.			
Timavus	„	Aen.	I 244.
Virvinus.			

Lacus.

Avernus	Verg.	Georg.	II 164
Acheros	„	„	II 492
Aecicus			
Ampsanctus	„	Aen.	VII 563 sqq.
Cyane			
Cocytus	„	„	VI 132
Cimini	„	„	VII 697.

---

[1]) usque ad id tempus huic versui depravato medela nondum allata est.

[2]) codd. lectio *Hippocrene Boeotiae in Arcadia* mutanda videtur in *Hippocrene Boeotiae in Achaia* ideo, quod Boeotia pars est Achaiae provinciae Romanae.

Feronia	
Fucinus	Verg. Aen. VII 759.
Hammonis.	
In Athamania	
In Aethiopia.	
Larius	„ Georg. II 159
Lucrinus	„ „ II 161
Lemannus	Lucan. I 396.
Mareotis	Verg. Georg. II 91.
Triviae	„ Aen. VII 516.
Velinus	„ „ VII 517
Venacus	„ Georg. II 160; Aen. X 205.

Nemora.

Angitiae	Verg. Aen. VII 759.
Clarium	„ „ III 360.
Dodona	„ Ecl. IX 12.
Idalium	„ Aen. I 681.
Molorchus	„ Georg. III 19
Marica	„ Aen. VII 47.
Sila	„ Georg. III 219; Aen. XII 715.
Thymbra	„ „ III 85
Tempe	Lucan. VIII 1.

Paludes.

Ambracia	
Asia	Verg. Georg. I 383.
Camerina	„ Aen. III 701.
Lerna	„ „ VI 287.
Maeotis	„ Georg. III 349.
Pomptinae	
Padusa	„ Aen. XI 457.
Styx	„ Georg. IV 480
Satura	„ Aen. VII 801
Strymon	
Salapina	Lucan. V 377.

Triton
Tyraco.

Montes.

Aracynthus	Verg. Ecl. II 24
Arius	„ „ V 71
Atlas	„ Aen. IV 246
Ascraeus	„ Ecl. VI 70
Aventinus	
Alburnus	„ Georg. III 147
Alpes	„ „ I 475. III 474
Aetna	„ „ IV 173
Acragas	„ Aen. III 703
Athos	„ Georg. I 332; Aen. XII 701
Appenninus	„ Aen. XII 703
Albanus	„ „ XII 134
Arentinus	
Amanus	Lucan. III 244
Aganippe.	
Berecynthus	
Besbius	
Boreas.	
Cithaeron	Verg. Georg. III 43
Cynthus	„ Ecl. VI 3; Georg. III 36
Caucasus	„ „ VI 42
Cythorus	„ Georg. II 437
Caelius	
Cybelus	„ Aen. III 111
Clarius	„ „ III 360
Cyllenius	„ Georg. I 337; Aen. IV 252
Catillus	„ Aen. VII 672
Coras	„ „ VII 672
Cunerus	„ „ X 186
Chimaera	„ „ VI 288
Caenys	
Ciminus	„ „ VII 697

Calpe	Lucan. I 555
Corycus	
Castalia.	
Dictaeus	Verg. Ecl. VI 56
Dodona	„ Georg. I 149
Dindyma	„ Aen. IX 618.
Eryx	„ „ I 570
Erymanthus	„ „ V 448
Esquilinus	
Epidamnus.	
Gargarus	„ Georg. I 103
Gaurus.	
Helicon	
Hyperborei	„ „ III 196
Haemus	„ „ I 492.
Imaus	
Ismarus	„ Ecl. VI 30
Ida	„ Georg. III 450.
Lycaeus	„ Ecl. X 15.
Maenalus	„ „ VIII 21
Massicus	„ Georg. II 143
Marpessus	„ Aen. VI 471
Monoecus	„ „ VI 830
Maxteria	
Maesulus [1]).	
Niphates	„ Georg. III 30
Neritus	„ Aen. III 271
Nysa	„ „ VI 806
Nemeus	„ „ VIII 296.
Olympus	„ Ecl. V 56 sq.
Ossa	„ Georg. I 282

---

[1]) fortasse e codicis V lectione *Maesulus, qui et Vesulus in Campania* lenissima mutatione eliciendum est *Maesulus, qui et Vesvius im Campania* (VESVIVS pro VESVLVS, i. e. Vèsuvius, cf. montem Besbium).

Othrys	Verg.	Aen.	VII 675
Oetaeus	„	Ecl.	VIII 30
Oeniphile.			
Parnasus	„	„	VI 29
Pindus	„	„	X 11
Parthenius	„	„	X 57
Phanaeus	„	Georg.	II 98
Palatinus			
Pelios	„	„	I 281. III 94
Pangaeus	„	„	IV 462
Pholoe			
Pyrenaeus	Lucan.		I 689
Pylartes			
Petrae	„		VI 16.
Quirinus.			
Rhodope	Verg.	Ecl.	VI 30
Riphaei	„	Georg.	I 240
Rhamnusium.			
Saturnius			
Soractis	„	Aen.	VII 696
Sarnus			
Sipylus.			
Tmarus	„	Ecl.	VIII 44
Tarpeius			
Taenarus			
Tmolus	„	Georg.	I 56
Taburnus	„	„	II 38
Taygeta	„	„	II 488
Tetrica	„	Aen.	VII 713
Temtrus.			
Velinus			
Vesulus	„	„	X 708.

Gentes.

Agathyrsi	Verg.	Aen.	IV 641
Acarnanii	„	„	V 298

Apuli[1])		
Assyrii	Verg.	Georg. II 465
Aethiopes	„	„ II 120
Aegyptii	„	„ IV 210.
Barcaei	„	Aen. IV 43.
Chalybes	„	Georg. I 58
Cicones	„	„ IV 519.
Dryopes	„	Aen. IV 146
Daci	„	Georg. II 497.
Gaetuli	„	Aen. IV 40
Germani	„	Ecl. I 63
Getae	„	Georg. III 462
Geloni	„	„ II 115. III 461
Garamantes	„	Ecl. VIII 44
Gangaridae	„	Georg. III 27.
Hispani.		
Indi	„	„ II 116
Ityraei	„	„ II 448.
Kares	„	Aen. VIII 725.
Lydi	„	Georg. IV 211
Lapithae	„	„ III 115
Lycii	„	Aen. IV 143
Leleges	„	„ VIII 725
Lucani.		
Massyli	„	„ IV 132
Mauri		
Magemburi		
Marsi	„	Georg. II 167
Medi	„	„ II 126. IV 211
Morini	„	Aen. VIII 727.
Numidae	„	„ IV 41.
Osci	„	„ VII 730.

[1]) pro codd. lectione *Apuli Italici partis Asiae* scribendum videtur

Apuli Italici partis Europae;
Assyrii partis Asiae.

Parrhasii	Verg. Aen. VIII 344	
Pannoni[1])		
Philyridae.		
Rutuli.		
Seres	„	Georg. II 121
Sabaei	„	„ I 57. II 117
Sauromatae.		
Teutones	„	Aen. VII 741
Tusci	„	„ XI 629
Thraces	„	„ III 14
Thessali.		
Vulsci	„	Georg. II 168.

Quodsi tam constanter a Vibio Sequestre nomina ex Vergilio arcessita primo in singulis litteris loco enumerari vidimus et nomina a Lucano pendentia ea excipere, Vibium primum adiisse Vergilium et post Vergilium Lucanum apparet. Sed non solum separatim Sequestrem Vergilii nomina et Lucani enumerare, sed etiam in singulis utriusque poetae nominibus enumerandis singulorum operum

---

[1]) codd. lectio aperte librariorum culpa corrupta, quae est *Pannoni Illyrici Europae; Philyridae Europae in Venetia,* mutanda videtur in

Pannoni Illyrici Europae prope Venetiam;
Philyridae Asiae Ponti

(cf. Steph. Byzant. s. v. *Φίλυρες,* qui quin sint Vibii Philyridae non dubito). Librariorum neglegentia duo nomina esse confusa compluriens vidimus: cf. flumina Asinium Amenanumque, gentes Apulorum Assyriorumque, praeterea cf. quae Bursianus adnotavit ad lacum in Aethiopia. Fortasse lectio corrupta hoc modo orta est: vocabulum *prope* post *Europae* ἁπλογραφίᾳ, ut graeco verbo utar, excidit; deinde verba *Europae Venetiam* non aperta ad intellegendum a viro aliquo satis indocto mutata sunt in *Europae in Venetia,* quae vocabula in versum sequentem intrabant verbis *Asiae Ponti* eiectis.

(dico Eclogarum, Georgicorum, Aeneidos) librorumque ordinem servavisse iam supra p. 8 sq. dictum est. At hanc fontium seriem continuam non raro Vibium ipsum turbavisse multa nomina demonstrant; cuius rei hae causae agnoscuntur. Primum Sequester amat flumina etc. eiusdem regionis coniungere: cf. Asiae flumina: Halym (Lucan. III 272) et Hypanim (Verg. Georg. IV 370); Graeciae amnes: Permessum (Verg. Ecl. VI 64) Peneumque (id. Georg. IV 317); Thessaliae montes: Oetaeum (id. Ecl. VIII 30), Othryn (id. Aen. VII 675), Ossam (id. Georg. I 282), Pelium (ibid. I 281), Pangaeum (ibid. IV 462); gentes Asiae: Assyrios (ibid. II 465), Aethiopes (ibid. II 120), Aegyptios (ibid. IV 210). Deinde Vibius nomina in uno alicuius auctorum suorum libro commemorata saepe composuit; exempli gratia Anienem a Verg. Georg. IV 369 et Aen. III 80 commemoratum, qui abest a Vibii indice inter Ascanium (Georg. III 270) et Achatem (schol. ad Aen. I 174) vel inter hunc et Acherontem (Aen. VI 295), composuit Sequester cum Allia fluvio, cum et Alliae et Anienis in Aen. l. VII mentio fiat, Alliae in v. 717, Anienis in v. 683. Alia exempla sunt haec: flumina Amasenus (Verg. Aen. VII 685. XI 547) et Aufidus (ibid. XI 405); Enipeus (Verg. Georg. IV 368. Lucan. VI 372) et Euenus (ibid. VI 365 sq.), lacus Triviae (Verg. Aen. VII 516) et Velinus (ibid. VII 517); montes Alburnus (Verg. Georg. III 147) et Alpes (ibid. I 475. III 474); Athos (Verg. Georg. I 332; Aen. XII 701), Appenninus (ibid. XII 703), Albanus (ibid. XII 134); Cynthus (Verg. Ecl. VI 3; Georg. III 36) et Cithaeron (ibid. III 43). Tum intra unum librum in qua serie eius auctores nomina exhibent, eam nonnumquam Vibium neglexisse flumina Amasenus et Aufidus, Atax et Atur, lacus Feronia Fucinusque, montes Cithaeron et Cynthus, Riphaei et Rhodope, al. demonstrant. Acheloum amnem propter verba *primus erupisse terram dicitur* primum in Vibii indice locum tenere luce clarius est. In aliis nominibus qua de causa Vibius

illum fontium ordinem turbaverit, non iam possumus cognoscere; cuius rei nonnulla exempla sunt haec: flumina Clitumnus, Lethe, Lycus, montes Atlas, Chimaera, Ciminus.

Atque hoc stabili fontium ordine omnium eorum nominum, quae utrum a Vergilio an ab alio auctore penderent Bursianus dubius erat, fontem possumus monstrare. Quod paucis exemplis mihi liceat illustrare: flumina Eridanum, Hypanim, Hermum primum lacumque Avernum, quamquam Hypanim ex Verg. Georg. IV 370 vel ex Ov. met. XV 285, Eridanum ex Verg. Georg. IV 372 vel ex Lucan. II 409 sqq., Hermum ex Lucan. III 210 vel ex Verg. Georg. II 137, Avernum ex Lucan. II 668 vel ex Verg. Georg. II 161 manavisse posse Bursianus censet optimo inter ea Vibii nomina illosque poetarum locos concentu motus, tamen ex nullo alio fonte nisi ex Vergilio posse accita esse et iis, quos singula nomina in libello Vibiano tenent, locis et eo, quod proxime de Vergilio primo a Vibio Sequestre in usum vocato dictum est, demonstratur; praeterea cf. Bursiani adnotationes measque ad flumina Gangem, Gelam, Hiberum, Helorum, Kaicum, Lethen, Maeandrum, Numicum, Peneum, Phasim, Tanaim, Vulturnum, Virbium; ad lacus Ciminos; ad nemus Dodonam; ad paludes Camerinam, Maeotim; ad montes Atlantem, Aetnam, Erycem, Monoecum, Parnasum.

Non tamen raro accidere videmus, ut inter nomina Vergiliana et Lucanea in indice Vibiano interspersa legantur alia, quae illorum seriem continuam videantur rumpere: flumina Achates, Avens, Aous, Alto, Arimaspa, Liris, Pitonius, paludes Pomptinae, Styx, montes Caelius, Gaurus, al. Sunt autem nomina Achates etc., si non ex Vergilio vel Lucano ipsis, attamen ex commentariis in eos compositis, quos propter nominum qualitates additamentaque de regionibus et vocabulis adiecta Sequestrem in usum vocavisse extra omnem dubitationem est, hausta.

Leguntur enim horum nominum plurima in commentariis, qui hodie exstant, unde probabile fit etiam eos, quos Vibius adhibuit, commentarios eorum fecisse mentionem, nonnullaque, quamquam in commentariis, qui aetatem tulerunt, non leguntur, tamen indidem manavisse non difficile est demonstratu; praeterea omnia fere illa nomina iis, quos ex librorum ordine tenere debebant, locis apud Vibium Sequestrem leguntur. Quod nonnulla exempla e multis deprompta demonstrent. Flumen Achatem ut putem ex schol. ad Verg. Aen. I 174 fluxisse duabus adducor causis, primum quod is fluvius in Vibii libello exstat inter Vergilii flumina Ascanium (Georg. III 270) Acherontemque (Aen. VI 295), deinde quod Servii ad Aen. I 174:

ac primum silici scintillam excudit Achates

verba „Achates adlusit ad nomen; nam achates lapidis species est" probabile reddunt commentarium Vergilianum a Sequestre adhibitum Achatis et lapidis et fluminis, in quo lapis Achates inveniebatur, mentionem fecisse. Avens quoque fluvius rectum inter Vergilii nomina tenet locum — exstat inter Acherontem (Aen. VI 295) et Anienem (ibid. VII 683) — videturque a schol. ad Aen. VII 656 sqq.:

victoresque ostentat equos satus Hercule pulchro
pulcher Aventinus, clipeoque insigne paternum
centum angues cinctamque gerit serpentibus Hydram;
collis Aventini . .

pendere propter Servii ad hos versus adnotationem: „Varro tamen dicit in gente populi Romani, Sabinos a Romulo susceptos istum accepisse montem, quem ab Avente, fluvio provinciae suae, Aventinum appellaverunt." Flumen Calorem, quod sequitur Crinisum ex Verg. Aen. V 38 sumptum, ex schol. ad Aen. VII 563 manavisse ea, quae Servius ad h. v. adnotat, demonstrant: „Est autem in latere Campaniae et Apuliae, ubi Hirpini sunt, et . . unde etiam Donatus dicit Lucaniae esse, qui describitur locus, circa fluvium, qui Calor vocatur."

Eodem modo a Vibio inserta sunt haec nomina, quae, quamvis apud Vergilium ipsum non legantur, tamen in commentariis, qui nobis praesto sunt, commemorantur atque maxima ex parte rectum inter Vergilii nomina locum secundum librorum ordinem tenent apud Vibium; fluxerunt enim

flumen Danubius	ex schol. ad	Georg. III 350	(cf. Serv.)
„ Indus	„ „	„ „ IV 211	(„ „)
„ Liris	„ „	„ Aen. VII 47	(„ „)
„ Padus	„ „	„ Georg. I 482	(cf. brev. expos. anon.)
„ Sagaris	„ „	„ Aen. VI 784	(cf. Serv.)
fons Camenarum	„ „	„ Ecl. VII 21	(„ „)
„ Dirceus	„ „	„ „ II 24	(cf. Philargyr.)
„ Hippocrene	„ „	„ „ VII 21	(cf. Serv.)
paludes Pomptinae	„ „	„ Aen. VII 630	(„ „)
palus Strymon	„ „	„ Georg. I 120	(„ „)
mons Aventinus	„ „	„ Aen. VII 682	(„ „)
„ Berecynthus	„ „	„ „ VI 784	(„ „)
„ Corycus	„ „	„ Georg. IV 127	(cf. Prob.)
„ Castalia	„ „	„ „ III 293	(cf. schol. Bernens.)
„ Gaurus	„ „	„ Aen. III 571	(cf. Serv.)
„ Taenarus	„ „	„ Ecl. VI 64	(„ „)
„ Taenarus	„ „	„ „ VIII 55	(„ „)
septem Romae montes: Aventinus, Caelius, Esquilinus, Palatinus, Quirinus, Saturnius (Tarpeius), Velinus	„ „	„ Georg. II 535	(cf. Serv. et schol. Bernens.)
gens Apulorum	ex schol. ad	Aen. VIII 9	(cf. Serv.)
„ Hispanorum	„ „	„ Georg. III 408	(„ „)
„ Lucanorum	„ „	„ Aen. VI 378	(„ „)
„ Maurorum	„ „	„ „ IV 206	(„ „)

gens Rutulorum exschol. ad Aen. IV 615 (cf. Serv.)
„ Thessalorum „ „ „ Georg. I 490 (cf. schol. Bernens.)

Etiam flumina Pitonius Sebethusque, fons Virvinus, lacus Feronia, montes Aganippe, Maesulus, quem fortasse eundem esse montem atque Vesuvium iam supra p. 19 n. 1 dictum est, Pholoe, Sarnus, quae neque Vergilius ipse neque commentarius ullus Vergilianus commemorant, tamen videntur deberi commentario Vergiliano a Sequestre compilato. Erat enim in Vergilii ipsius verbis, cur eius interpres illorum nominum mentionem faceret. Nam Vergilii Aeneidos libri VII v. 759 sq.:

te nemus Angitiae, vitrea te Fucinus unda,
te liquidi flevere lacus,

porro eiusdem libri v. 734 sq.:

. . quem generasse Telon Sebethide nympha
fertur

eiusdemque libri v. 762 sqq., in quibus Vergilius loquitur de Virbio Egeriaque nympha, probabile reddunt Vergilii interpretem, quem Sequester adiit, et Pitonii per lacum Fucinum fluentis (cf. Plin. n. h. XXXI 41) et qua necessitudine essent coniuncti fluvius Sebethus cum Sebethide nympha atque fons Virvinus cum Hippolyto et Egeria commemorasse. Nomina Feronia, Aganippe, Maesulus, Pholoe, Sarnus quin putemus ex scholiis ad Verg. Aen. VII 800; Ecl. X 12; Georg. II 224; Aen. VIII 293 (cf. Serv.). VII 738 manavisse, nihil impedit.

Ut autem a commentario Vergiliano non pauca nomina Vibiana pendent, ita nonnulla ex commentario in Lucanum composito manaverunt, quae magna ex parte inter nomina a Lucano accita leguntur, sunt autem haec: flumina Aous Altoque inter Albim (Pharsal. II 52) et Aeam[1]) (VI 361), flumen Barbanna inter Bagradam (IV 588) et Bactrum (III 267), flumen Isamnus inter Isaram (I 399) et Ilerdam (IV 13), flumen Mathis inter Macram (II 426) et Marsyam

[1]) de Arimaspa fluvio mox dicendum erit.

(III 207), flumen Ululeus post Varum (I 404), mons Pylartes inter Pyrenaeum (I 689) et Petras (VI 16); sex alia nomina post nomina Vergiliana scripta videmus: flumen Drinum post Danubium (schol. ad Verg. Georg. III 350), montem Boream post Berecyntum [1]) (Aen. VI 784), montem Epidamnum post Esquilinum (schol. ad Georg. II 535), montem Oeniphilen post Oetaeum (Ecl. VIII 30), montem Rhamnusium post Riphaeos montes (Georg. I 240), montem Temtrum post Tetricam (Aen. VII 713). Haec autem nomina cum omnia prope Dyrrachium Apolloniamque sita Illyriae sint atque septem cum nominibus ex Lucani Pharsalia expressis coniuncta sint, extra omnem dubitationem causa posita esse mihi videtur, cur hoc ipso Vibii libelli loco legantur. Etenim cum, quantas Pompeius in Epiro, Graecia, Asia, Africa collegerit vires ad bellum cum Caesare gerendum, in l. III vv. 169—297 Lucanus exponat, hoc loco Lucani interpretem ea loca, in quibus Caesar atque Pompeius bello Dyrrachico a Lucano in l. VI exposito arma conferebant, diligenter descripsisse persuasum habeo, unde Sequester illa nomina textui suo inserta ascivit. Cui opinioni ne Drinus, Boreas, Epidamnus, Oeniphile, Rhamnusium, Temtrus quidem repugnant, quae proxima a nominibus ex Vergilio sumptis ea sola de causa leguntur, quod Vibius nullum Silii Italici, quem Vibium adiisse post Vergilium et ante Lucanum infra demonstrabitur, vel Lucani nomen exhibet, quod inter nomina ex Vergilio hausta illaque a commentario Lucaniano pendentia possit exstare. Etiam Aecicus lacus ipse quoque prope Apolloniam situs, quamquam locum tenet inter Acherontem (Verg. Georg. II 492) et Ampsanctum (Aen. VII 563 sqq.), tamen huic commentario Lucaniano videtur deberi. Indidem manavisse etiam flumina Cinybem et Pisaurum Lucani l. IX v. 787:

---

[1]) de Besbio monte postea a Vibio textui inserto infra dicendum erit.

Cinyphias inter pestes tibi palma nocendi est
et l. II v. 405 sq.:

in laevum cecidere latus veloxque Metaurus
Crustumiumque rapax et iuncto Sapis Isauro

(cf. Plin. n. h. III 113) probabile reddunt.

Atque huius commentarii fidem cum in examen vocamus, facere non possumus, ut laudemus, quod Vibius Aoum Aeamque eundem esse amnem nesciat (cf. Hecat. ap. Strab. VII p. 316. Plin. n. h. III 23) haec referens:

Aous Apolloniae in mare Ionicum decurrens.
Aeas Macedoniae decurrit in Ionium mare.

Vibius enim, si quid de hac re in Lucani interprete a se in usum vocato repperisset, ita nos monuisset, ut fecit in flumine Titaresso et ipso ex Lucano hausto (VI 375 sqq.): *Titaressus Thessaliae, qui et Orcus;* Titaressum autem eundem esse fluvium atque Orcum, quod de hac re nihil apud Lucanum scriptum videmus, Sequester non tam Lucano ipsi quam commentario ad eum composito debere censendus est. Etiam aliis nominibus, quae propter locum, quem in indice Vibiano tenent, ex Lucano manavisse necesse est, hunc commentarium Lucanianum fuisse satis infidum demonstratur, dico Arimaspam, Pachynum, Sasonem, Taygetam, quae nomina Vibius errore deceptus in fluviorum numero habet, cum Arimaspae sint gens Scythica (cf. Herod. IV 27), Pachynus Siciliae promunturium (cf. Plin. n. h. III 89), Sason insula maris Adriatici (ibid. III 152), Taygeta Laconicae mons (Mela II § 41). Sed Lucani versus, ex quibus illa quattuor nomina fluxerunt, Vibii errorem aliqua ex parte excusant; de flumine Arimaspa audi l. III v. 280 sq.:

hinc Essedoniae gentes auroque ligatas
substringens, Arimaspa, comas . .

et l. VII v. 756:

quodque legit dives summis Arimaspa harenis;

de flumine Pachyno l. VII v. 871:

Hesperiae clades et flebilis unda Pachyni;

de flumine Sasone l. V v. 650 sq.:

non humilem Sasona vadis, non littora curvae
Thessaliae saxosa pavent;

de flumine Taygeta l. V v. 51 sq.;

.. gelidique inculta iuventus
Taygeti.

Sed tamen haec menda non tam Vibio Sequestri tribuenda sunt quam Lucani interpreti ab illo compilato; quod colligitur non solum inde, quod, etiamsi Vibius ipse illos Lucani versus falso intellexisset, tamen commentarius Lucanianus, cui ille regiones aliaque debet, Sequestrem de errore suo edocuisset, sed etiam inde, quod scholium ad Lucan. VII 755 servatum *Tagus et Arimaspus sunt fluvii, in quibus aurum abundat,* Vibium Lucani interpretis inscientia deceptum esse demonstrat; nam quod de Arimaspa dicitur, idem in cetera quoque nomina valere aequum est.

Praeter hos quattuor fluvios Vibius etiam duos alios Lucani locos falso intellexisse videtur; quorum alter est II 421 sq.:

dexteriora petens montis declivia Thybrim
unda facit Rutubamque cavam;

quibus ex versibus probabile est lectionem codicis V *Thybrim* retinendam esse neque Vibii verba *Rutuba ex Appennino in Thybrim fluit* mutanda esse in *Rutuba ex Appennino in Tyrrhenum ⟨mare⟩ fluit* (cf. Plin. n. h. III 5). Alter est fluvius Thermus nulli veteri scriptori notus, qui Bursiano mutandus visus est in fluvium *Tiniam* sive *Teneam,* qui legitur apud Sil. Ital. VIII 452:

.. Tiniaeque inglorius humor.

Quam Bursiani coniecturam facere non possum ut amplectar, quod Vibium nullum Silii librum adiisse nisi l. XIV veri est simillimum; sed Vibii verba *Thermus Umbriae* plane recta sunt atque Lucan. II 463 referunt:

iusque sui pulso iam perdidit Umbria Thermo,

primum quia et a Lucano et a Vibio Thermus tribuitur

Umbriae, deinde quod Thermus, qui legitur apud Lucan. II 463, in Vibii libello nominatur ante duo nomina ipsa quoque ab eodem poeta pendentia, dico Taygetam (V 52) Titaressumque (VI 376 sqq.).

Iam cum deinceps quaerimus, quae fuerit commentariorum et Vergiliani et Lucaniani a Vibio Sequestre in usum vocatorum indoles, ultra ea, quae iam Bursianus recte vidit, progredi non licet; is autem de commentariis a Vibio usurpatis haec in universum dicit (l. l. p. V): „Uberioribus enim quam eis, qui nobis praesto sunt, poetarum, ex quorum carminibus fluviorum, fontium, lacuum (nemorum omisit Bursianus), paludum, montium, gentium nomina excerpsit commentariis usum esse Vibium luculenter apparet ex eo, quod haud pauca habet, quae neque ex ipsis poetarum verbis neque e scholiis, qualia nunc legimus, sunt deducta.“ Quamobrem antiquiore commentario quam Vaccae, quo vetustiorem Lucani enarratorem nullum novimus (is autem saeculo p. Christ. n. VI Lucani Pharsaliam illustravit), Vibium usum esse necesse est, et quod pertinet ad commentarium in Vergilium compositum, Aelii Donati adnotationes in suum usum Sequester convertisse videtur, cum bis apertissimus concentus intercedat inter Vibii verba verbaque Donati a Servio servata, dico flumen Calorem lacumque Ampsanctum. Etiamsi Aelium Donatum Vergilii Aeneidem et Georgica tantum interpretatum esse sciamus, tamen propter Eclogarum prooemium, quod hodie exstat, eaque de causa, quod Vibium, ut erat compilator imbecillus, duos commentarios in unius poetae carmina compositos adiisse verisimile non est, Eclogas quoque ab eodem interprete esse explicatas putare debemus. Vibio etiam in Eclogas commentarium aliquem ad manus fuisse necesse esse patet inde, quod haud paucorum nominum vocabula regionesque, quae in Vergilii Eclogarum versibus ipsis non leguntur, ex nullo alio fonte nisi ex commentario Vergiliano possunt deprompta esse, cf. flumina Ararem (Ecl. I 61 sq.), Hebrum (X 65), Oaxem (I 65:)

Permessum (VI 64), fontes Aganippen (X 12) Libethridaque (VII 21), montes Aracynthum (II 24), Arium (V 71), Ascraeum (VI 70), Cynthum (VI 3), Dictaeum (VI 56), Ismarum (VI 30), Lycaeum (X 15), Maenalum (VIII 21), Olympum (V 56), Oetaeum (VIII 30), Parnasum (VI 29. X 11), Pindum (ibid.), Parthenium (X 57), Rhodopen (VI 30), Tmarum (VIII 44), gentes Germanorum (I 62) Garamantumque (VIII 44); praeterea fontes Camenarum et Dirceum, montes Heliconem Taenarumque illi commentario ipsi deberi scimus. Adhuc de Vergilio et Lucano commentariisque in eos compositis.

Venio iamiam ad nomina a nobis nondum ad fontes suos revocata. Restant enim haud pauca nomina, quae neque apud Vergilium neque apud Lucanum leguntur. Quorum nominum inter nonnulla et Ovidii metamorphoses fastosque et Silii Italici Punica magnum esse concentum non possumus non animadvertere. Leguntur autem in Silii Punicis flumina Anapus (XIV 515), Alabon (XIV 227), Acis (XIV 221), Chrysas (XIV 229), Herbesus (XIV 264), Himera (XIV 233), Hypsa (XIV 227), Hipparis (XIV 230), Phacelinus (XIV 260), Thrasymenus (XIV 150), Triocala (XIV 270), fons Menais (XIV 266), lacus Cyane (XIV 515. 586), in Ovidii metamorphosibus flumina Amenanus (XV 279), Aniger (XV 281 sqq.), apud Cicones (XV 313 sq.), Crathis (XV 315), Erasinus[1]) (XV 276), Lyncestius (XV 329 sqq.), fontes Clitor (XV 332 sq.), Gargaphie (III 150), Liriope (III 339 sqq.), Salmacis (XV 319), lacus Hammonis (XV 309 sq.), in Athamania (XV 311 sq.), in Aethiopia (XV 319 sqq.), palus Triton (XV 356 sqq.), in Ovidii fastis flumen Gallus (IV 363 sqq.). Quibus nominibus

---

[1]) Ovidii l. c.:

. . tecto modo gurgite lapsus
redditur Argolicis ingens Erasinus in arvis

coniecturam Riesianam, quae est *Erasinus Argolicae* pro *Erasenus lyciae,* probabilem reddit.

num addendus sit Sipylus mons, quod nomen solum Bursianus ad Ov. met. l. VI (v. 149) refert, dubium est. Atque in haec nomina cadit idem, quod supra de nominibus ex Lucano Vergilioque accitis dictum est. Ut enim haec certo singularum litterarum loco redire intelleximus, ita nomina Siliana inter Vergilii nomina Lucanique leguntur (i. e. tenent secundum singularum litterarum locum: Anapus, Alabon, Acis, Chrysas, Herbesus, Himera, Hypsa, Hipparis, Phaelinus, Thrasymenus, Triocala flumina proxima sunt ab Aufido, Calore, Hermo, Pactolo, Thermodonte[1]) fluviis ex Vergilio arcessitis; Menais solum fontis nomen Vibianum ab M littera incipiens nihil demonstrat) et nomina Ovidiana locum tenent post nomina ex Lucano petita; nam flumina Aniger, apud Cicones, Crathis, Erasinus, fontes Clitor, Gargaphie, Liriope, Salmacis, lacus Hammonis, in Athamania, in Aethiopia, palus Triton, quantum quidem fieri potest, Lucani nomina sequuntur. Quo ex stabili fontium ordine perspicuum est, quomodo Sequester opusculum suum corraserit: primum adiit Vergilium, deinde Silium Italicum, tum Lucanum, postremum Ovidium. Sed cum Lucani Vergiliique omnes libros compilaverit, Silii et Ovidii parvas tantum partes in suum usum convertisse videtur; omnia enim nomina, quae supra enumeravimus, ex Silio atque Ovidio petita nullos alios horum poetarum libros referunt nisi Silii l. XIV Siciliae historiam ab antiquissimis temporibus usque ad Marcelli Syracusarum obsidionem anno a. Chr. n. 212 continentem, Ovidii metamorphoseon libros III et XV, in quibus leguntur Cadmi, Actaeonis, Semeles, Tiresiae, Narcissi, Penthei fabulae Pythagoreaeque rationes, eiusdemque fastorum l. IV, in quo Ovidius mensem Aprilem tractat. Quod facile est ad intellegendum ex eo, quod supra de libelli Vibiani ratione dictum est. Iam supra enim p. 7 intelleximus prooemii verbis *quod ipsi tibi non inutile*

---

[1]) de Alento, Asinio, Thapso fluminibus postea a Sequestre textui insertis infra nobis dicendum erit.

factum scio fore et *praesertim cum professioni tuae sit necessarium* demonstrari Vibium opusculum suum corrasisse iuventuti erudiendae. Quod hic quoque monendum est; nam non solum hodie multorum scriptorum vel poetarum parvas partes, florilegia quae vocant vel ἀνθολογίας, pueris a magistris dari, sed etiam Vibii Sequestris temporibus datas esse notum est.[1]) Tali autem Siliano et Ovidiano florilegio Vergilianus magister videtur usus esse et ex hoc quidem fluminum etc. nomina ad filium in puerorum eruditione adiuvandum Vibius excerpsisse. Quamquam haec florilegia utrum eorum, quos dixi, librorum omnes versus comprehenderint an partes tantum, cum omnia fere nomina in illis libris commemorata in indice Vibiano legantur, haud facile credo quemquam esse diiudicaturum, tamen Ovidii metamorphoseon libri XV partem tantum adiisse Sequester videtur eam, quae versus 60—478 complectebatur et Pythagorae philosophiam illustrabat, idque ea de causa, quod duo huius libri nomina, quae sola in Vibii opusculo desiderantur, extra hanc Pythagoream philosophiam exstant, dico flumina Aesarem (v. 23) et Phlegethontem (v. 532).

Iam procedat quaestio. Ut commentarios Vergilianum Lucanianumque Vibio ad manus fuisse Bursianus dicit, ita commentarios ad Silium Italicum atque Ovidium quoque compositos. Cui sententiae, quod quidem attinet ad commentarium Silianum, qui postremus de hac re disseruit, Hermannum Blassium dico, magnopere repugnavit quaestionem de Vibii Sequestris fontibus obscurans potius quam illustrans[2]); sed non solum commentarium in Silium compositum adhibitum esse a Vibio Blassius non probavit, sed etiam Silii Punica a Vibio esse arcessita praefacte negavit Silium a paucis lectum esse docens nihilque esse, quo

---

[1]) cf. F. Marx apud Pauly-Wissowa, encyclop. real. vol. I p. 2391.

[2]) Mus. Rhenan. t. XXXI p. 133 sqq.

Vibium commentarium aliquem Silianum, quo carere Bursianus non potuit, ut Vibii additamentorum de nominum vocabulis etc. adiectorum fontem indicaret, confirmetur in usum vocavisse, praesertim cum nullum usquam talis commentarii esset vestigium; praeterea prooemii verba *apud plerosque poetas* commentarios a Vibio non adhibitos esse demonstrare. Hisce ex causis Silii Punica Vibium adiisse Blassius negat atque Sequestrem etiam ex aliis poetis atque ex iis, qui nobis praesto sint, haud pauca nomina hausisse Hesselium Oberliniumque secutus censet.[1]) Hanc Blassii sententiam amplecterer, nisi ea, quae proxime de Silio Vibii fonte dicta sunt, impedirent. Videmus enim propter certum, quem in Vibii indice tenent, locum flumina Anapum, Alabonem, Acim, Chrysam, Herbesum, Himeram, Hypsam, Hipparim, Phacelinum, Thrasymenum, Triocalam, fontem Menaim ex Silio manavisse necesse esse. Cum autem de illorum nominum qualitatibus, regionibus, vocabulis nihil fere Silius ipse exhibeat, haec additamenta necesse est aliunde fluxisse. Imprimis huc pertinent, quae de Herbeso, Phacelino, Triocala fluminibus, fonte Menai, lacu Cyane a Sequestre disputantur, quorum neque qualitates ex Silii verbis ipsis intelleguntur neque regiones vocabulaque apud hunc poetam leguntur; audi Silii verba l. XIV v. 264 sqq.:

non Herbesus iners, non Naulocha pigra pericli
sederunt, non frondosis Morgentia campis
abstinuit Marte infido;

ibid. v. 260:

mille Thoanteae sede Phacelina Dianae;

ibid. v. 270:

et mox servili vastata Triocala bello;

ibid. v. 266 sq.:

. . . comitata Menaeis
venit Amastra viris et parvo nomine Tisse;

---

[1]) l. l. p. 136.

ibid. v. 514 sq.:

fleverunt freta, fleverunt Cyclopia saxa
et Cyane et Anapus et Orthygie Arethusa

et compara cum eis verba Vibii:

Fluvius Herbesus, qui et Endrius, oppido Alorino decurrit per fines Helori.
Fluvius Phacelinus Siciliae iuxta Peloridem, confinis templo Dianae.
Fluvius Triocala, qui et Isburus, iuxta Albam Imacarensium.
Fons Menais Leontinorum, per quem timent iurare cives eius loci.
Lacus Cyane Syracusis, per quem Anapus transit.

Nimirum Blassio id est concedendum, verba Vibiana, quae apud Silium non leguntur, ex commentario aliquo Silium illustrante manavisse, cum nullum usquam talis commentarii sit vestigium, non satis probabile esse; sed Sequestrem Silii l. XIV compilantem, quorum nominum qualitates ex Silii ipsius verbis non intellexerat, eas illustrasse aliis fontibus, lexico aut glossario, in usum vocatis veri est simillimum; unde ea, quae ad consilium suum apta esse videbat, arcessivit [1]). Idem cadere videtur in ea nomina, quae Vibius debet Ovidio. Commentarii enim ad Ovidii metamorphoses conscripti, quem Vibius adire potuerit, nullum superest vestigium. Nam quae intercedit inter Vibium Lactantiique Placidi libri metamorphoseon XV enarrationem, consensionem ita esse explicandam, ut Lactantius Vibio usus sit, Bursianus recte vidit. Unum locum, quem ex Ov. fast. l. IV Vibium sumpsisse probabile est (dico Galli fluminis enarrationem), nullis aliis adhibitis

---

[1]) indidem ea, quae in Himerae fluminis enarratione de Stesichoro Sequester dicit, fluxisse ex eo, quod supra ad Hypanim flumen adnotavi, probabile est.

fontibus explicare potuit, cum, quae de Phrygia Ovidianis addidit, ex sua ipsius glossa de Cybelo monte sumere posset.

Quae cum ita sint, satis demonstravisse mihi videor et praeter Vergilium Lucanumque Silii Italici Ovidiique parvas partes Vibium adiisse et non minus nomina ab his auctoribus pendentia quam nomina ex illis poetis arcessita certo singularum litterarum loco redire, ita ut in singulis litteris fontium ordo semper unus idemque sit; primum enim tenent locum nomina Vergiliana, secundum Siliana, tertium Lucaniana, quartum Ovidiana; immo plurima uniuscuiusque illorum poetarum nomina, quo ordine fontes exhibebant, eodem in opusculum suum Sequester recepit.

Restat autem satis magnus nominum numerus, quae apud Vibium leguntur partim inter nomina Vergiliana inserta, partim cum Silianis composita, partim in litterarum exordio vel exitu posita, quae unde arcessiverit Sequester nondum exploratum est. Haec nomina in duo dividuntur genera. Primi generis sunt flumen Acragas Galliaeque amnes Esia, Liger, Mosella, Sequana, quae omnia a manu secunda addita e textu sunt eicienda; nam adscriptionis ad flumen Acragam in codice V *Θ vacat* signum *Θ* nihil aliud nisi *Θάνατος* est significans hunc versum in codice V a manu secunda lineolis subductis notatum et in reliquis manuscriptis prorsus omissum esse delendum; atque flumina Galliae ab interpolatore aliquo Gallico, ut erat amans patriae, fluviis Vibianis adiecta esse luce clarius est. Etiam Rhodanus fluvius, qui in optimo codice non legatur, delendus videtur. Quibus fluminibus Turia amnis, quem nunc in rasura legimus, forsitan addendus sit; quem, cum nusquam nisi hic concentus inter Vibii verba „Turia Hispaniae, quod Valentiam parvo intervallo praeterfluit“ et Sallustii[1]) „inter laeva moenium et dexterum flumen Turiam, quod

[1]) Sallust. hist. frgm. II 54 ed. Maurenbrecher.

Valentiam parvo intervallo praeterfluit" sit, alibrario aliquo ex Prisciano, qui illa Sallustiana exhibet (VI 2 § 8 sq.), delibatum esse aliquo Vibii flumine eraso verisimile est.

Alterius generis sunt flumina Alyntus, Asinius, Aternus, Brictates, Camicus, Calos, Cydnus, Cirta, Casilinum, Faneus, Lycastus, Lethaeus, Orethus, Tauromenius, Thapsus; fontes Inessa et Spandeus; paludes Ambracia Tyracoque; montes Besbius, Caenys, Imaus, Maxteria; gentes Magemburorum, Pannonorum, Philyridarum, Sauromatarum. In quorum nominum numero si Sipylus mons est, quod nomen, ut iam supra p. 33 dictum est, solum ex Ov. met. libro VI (149) manavisse Bursianus putat, hunc Ovidii metamorphoseon librum Sequester non adiit, ita ut metamorphoseon nulli libri nisi III et XV respiciendi sint. Quorum nominum regiones accuratius examinantes omnia sita esse aut non procul a maris interni ora aut in eiusdem maris insulis intellegimus; continentis sunt haec nomina: flumina Alyntus Lucaniae, Aternus Marsorum, Brictates Venetiae, Calos Moesiae, Cirta Massiliensium, Casilinum Campaniae, Cydnus Ciliciae, Faneus Metaponti, Thapsus Africae; palus Ambracia Achaiae; montes Besbius Campaniae, Imaus Ponti, Maxteria Hispaniae; gentes Magemburorum Africae, Pannonorum Europae, Philyridarum Sauromatarumque Ponti; insularum sunt haec: Siciliae flumina Asinius, Camicus, Lycastus, Lethaeus, Orethus, Tauromenius; fontes Inessa Rhodi, Spandeus Coi; palus Tyraco Siciliae; mons Caenys Siciliae. Iam Hermannus Blass (l. l. p. 136) haec nomina esse orae maritimae agnovit, fugit vero eum, hanc esse interni modo maris oram. Quod nos adducit, ut putemus illa viginti septem vel octo nomina ex libello geographico illius maris oras describente manavisse. Tales enim et omnium terrarum, quae tum incolebantur, et singularum orbis partium descriptiones, peripli qui vocantur, sive a Graecis sive a Romanis scriptoribus compositae complures nobis notae

vel superstites sunt. Ex Romanorum litteris una eiusmodi descriptio aetatem tulit Avieni ora maritima saeculo p. Chr. n. IV orta et Europae ad solis occasum spectantis meridionalisque atque Ponti Euxini oras tractans. Tale autem opus Vibius in suum usum videtur convertisse; neque vero fieri potest, ut illam Avieni oram maritimam adierit Sequester, cum eum periplum omnium maris interni terrarum oras describentem compilavisse inde pateat, quod in indice Vibiano nomina et Europae et Asiae et Libyae ex periplo hausta leguntur: cf. flumina Alentum, Calum, Aternum, Thapsum. Cuius autem hic periplus Vibianus fuerit, nescimus; ne ea quidem quaestio solvi potest, utrum ille periplus compositus fuerit a scriptore Romano an ex graeco sermone in Latinum transscriptus, qualis fuit v. gr. Dionysii περιήγησις ab Avieno Prisciano-que in Latinum conversa.

Atque cum hoc periplo necessitudine artiore coniuncta esse ea nomina, quae Vibium Silio Italico debere Bursianus putat, Hermannus Blass docet non minus iis de causis, ex quibus Silium a Vibio esse usurpatum negavit, quam quod praeter nomina a Bursiano e Silio deducta haud pauca nomina, quae ipsa quoque apud eos, qui aetatem tulerunt, scriptores non leguntur, in libello Vibiano insunt. Secuturum enim se esse Bursianum Blassius ait, si illa Silii nomina, quae apud Vibium leguntur, sola essent, quorum fons non iam exstat; sed cum nimis magnus nominum Vibianorum numerus in eadem causa sit, in qua illa nomina cum Silio congruentia, necesse esse ea ipsa nomina, quae fortuito casu etiam apud Silium leguntur, ex hoc poeta non fluxisse. Quam Blassianam sententiam amplecteremur, nisi loci, quem in Vibii opusculo haec nomina omnia tenent, ratio esset habenda, quod in ceterorum quoque nominum fontibus indagandis magni momenti fuit. Nam cum nomina ex Silii l. XIV desumpta uno eodemque singularum litterarum loco posita esse viderimus (dico inter Vergilii Lucanique nomina), peripli nomina,

quod supra p. 37 monitum est, alia alibi leguntur, partim inter nomina Vergilium referentia (cf. flumina Camicum, Calum, Tauromenium), partim inter nomina e Silio hausta (cf. flumen Thapsum), partim in litterae initio (cf. flumen Faneum, fontem Spandeum, paludem Ambraciam, montem Imaum), partim in litterae exitu (cf. flumina Aternum, Brictatem, Lycastum, Lethaeum, paludem Tyraconem, montem Maxteriam, gentes Pannonorum, Philyridarum, Sauromatarum), alia alibi. Nunc autem te quaerentem audio, qui fiat, ut Sequester nonnulla peripli nomina cum Silianis quidem nominibus coniunxerit: flumina Asinium Alentumque cum Anapo, Alabone, Aci Amenano flumine solo interiecto, flumina Cirtam, Casilinum, Cydnum, cum Chrysa, flumen Thapsum cum Thrasymeno Triocalaque. Cuius rei causa probabilis redditur haec, ita ut non actum sit de Siliana nominum Anapi, Alabonis rel. origine; veri enim simile est Vibium peripli nomina excerpentem in eoque Siciliae flumen Asinium invenientem hunc amnem ab A littera ordientem cum (Amenano,) Anapo, Alabone, Aci ipsis quoque Siciliae fluviis iam e Silio in opusculum suum receptis coniunxisse. Sequestrem enim amare flumina etc. eiusdem regionis in indice suo coniungere iam supra p. 23 dictum est, qua de causa flumen Amenanum quoque ex Ov. met. XV 279 desumptum hoc loco scriptum videmus. Atque cum Anapus, Alabon, Acis forte Silii amnes essent, etiam nonnulla alia flumina ex periplo hausta, quae Siciliae non erant, ad Silii flumina Vibius locavit.

Atque hac ipsa de causa, quod peripli nomina in Vibii opusculo alia alibi leguntur, hunc fontem postea, quam cum Vergilium, Silium, Lucanum, Ovidium usurpabat, in usum vocavisse videtur; quod nisi ita esset, miraremur, qua causa motus Sequester ab indicis sui componendi ratione repente destiterit. Quocum optime congruit, quod Vibii gentes ex duobus tantum fontibus desumptae sunt; nam ex quadraginta sex Vibii gentibus

apud ipsum Vergilium vel in commentario in eum composito quadraginta duae leguntur, quattuor periplo debentur (Magemburi, Pannoni, Philyridae, Sauromatae). Pannoni Sauromataeque, quamquam illos III 95, hos I 430 alib. Lucanus commemorat, tamen quominus ex Lucano hausti esse possint illae multae Lucani gentes impediunt in libellum Vibianum non receptae; sed Pannonos Sauromatasque ex eodem, ex quo Philyridae Magemburique manaverunt, fonte fluxisse verisimile est; nam cum Pannoni, quod prope Venetiam fere ad mare Adriaticum pertinent, in gentium mare internum accolentium numero possint haberi ac Philyridae Sauromataeque Ponti Euxini orae sint, quam maris interni partem in periplo esse tractatam veri est simillimum, patet has tres gentes a periplo pendere; atque Magemburos quoque, quos, cum eorum nusquam, quantum scio, nisi hic mentio fiat, Libyae oram septentrionalem coluisse quin putemus nihil nos impedit, indidem manavisse consentaneum est. Atque Vibium, quamquam Vergilii gentibus in opusculum suum receptis a Silii, Lucani, Ovidii gentibus ea sola de causa, ne libellus suus insto amplior fieret, destitit, tamen postea peripli nomina in Vergilii, Silii, Lucani, Ovidii inserentem etiam nonnullas gentes ex hoc fonte desumpsisse probabile est.

II.

Deinceps dicendum est, quemadmodum singulae Vibii glossae compositae sint. Secundum prooemii verba *tanto labore sum secutus eorum et regiones et vocabula et qualitates* primum situs omnium nominum ac positiones depingit Vibius Sequester tribus nominibus exceptis, quorum duo ab Ovidio pendent, unum a Lucano, de quibus Vibius regiones neglegens nihil nisi haec refert:

de flumine Anigro (Ov. met. XV 281 sqq.): „Aniger, qui ex cruore Centaurorum, quos Hercules interfecit, odore suo advenientes fugat, cum fuerit dulcissimus;"

de fonte Liriope (ibid. III 399 sqq.): „Liriope, ubi Narcissus se conspexit;"

de flumine Eueno (Lucan. VI 366 sq.): „Euenus, qui et Lycormas, per quem Nessus Centaurus Deianiram Herculis traiecit."

Deinde non paucorum nominum vocabula Vibius commemorat et respiciens, quam habeant singula nomina significationem vel unde deriventur[1]), et oppidorum, civitatum etc. ex fluminibus etc. suis nominatorum mentionem faciens.[2]) Nonnullorum fluminum, paludum, montium nomina profert Vibius duo vel tria:

---

[1]) flumen Achates: „qui pari nomine lapillos edit, unde gemmae fiunt;"
„ Anaurus: „ita denominatus, quod ex se neque auram neque nebulam emittat;"
„ Lethe: „quod oblivii sit causa;"

praeterea cf. flumina Anienem, Lethaeum, Minionem, Pantagiam, Sarnum, Virbium, nemora Maricam Thymbramque, paludes Styga Padusamque.

[2]) flumen Camicus: „ex quo urbs Camicus;"
„ Helorus: „a quo civitas;"
lacus Mareotis: „unde vites Mareaticae;"

accedunt flumina Baetis, Casilinum, Crustumium, Gela, Hiberus, Indus, Ilerda, Lycus, Lycastus, Oaxes, Tauromenius, Vulturnus, Xanthus secundus, fons Inessa, montes Arius, Haemus, Neritus.

flumen Danubius, qui et Hister;
„ Euenus, qui et Lycormas;
„ Eridanus, qui et Padus;
„ Herbesus, qui et Endrius (vel Erineus; cf. Ptolem. Geogr. III 4,8);
„ Hipparis, quem et Hiccarin vocant;
„ Thybris, idem Tiberis, idem Albula;
„ Triocala, qui et Isburus;
„ Titaressus, qui et Orcus;
palus Camerina nunc, ante Hyperie dicta;
„ Satura, eadem Stura;
mons Aganippe, ante Enippe dictus;
„ Saturnius, qui et Capitolinus, idem et Tarpeius.

Neque vero solum regionum vocabulorumque Vibius rationem habuit indicem suum componens, sed etiam ad quartam fere nominum partem, quidquid erat in his singulare atque ei imprimis notatu dignum videbatur, adnotavit. Nonnulla exempla sunt haec:

flumen Achelous: „primus erupisse terram dicitur;"
„ Alpheus: „qui per mare decurrens in Siciliam insulam Arethusae fonti miscetur;"
„ Anapus: „qui per duo milia passus sub terram mergens Syracusis miscetur mari appellaturque Anapus κυάνεος, superior Anapus φαιός[1]);"
„ Pitonius: „qui per medium lacum Fucinum Marsorum ita decurrit, ut aqua eius non misceatur stagno;"
„ Taygeta: „ubi filios suos mores habent durare frigore aquae;"

---

[1]) Bursiani coniecturam κυάνεος et φαιός pro codicis V lectione *caenos* et *faeos* rectam esse patet inde, quod κυάνεος et φαιός eandem fere notionem habent, atque vocabulum κυάνεος ad Cyanen fontem vel lacum spectare evincitur ex Sil. Ital. XIV 514 sq., unde ille fluvius manavit:

fleverunt freta, fleverunt Cyclopia saxa,
et Cyane et Anapus et Ortygie Arethusa.

fons Gargaphie: „ubi Actaeon laceratus;“
lacus Avernus: „immensae altitudinis, cuius ima pars deprehendi non potest;“
palus Triton: „in quo qui se novies merserit, in avem convertitur;“
mons Aetna: „flammam emittens;“
„ Olympus: „altissimus, qui altitudine sua super pluvios et nubes excedit;“
„ Petras: „castra Pompei magni;“
gens Gelonorum: „picti corporis parte.“

Unde autem Vibius adnotationes de nominum suorum regionibus, vocabulis, insignibus deprompsit? Iam supra in universum dictum est Vibium praeter poetas etiam commentarios in eos compositos in suum usum convertisse. Plurimas enim glossas ita corrasit, ut ex poetis, quae consilio suo apta esse videbat, delibaret et ad haec faceret de regionibus, vocabulis, insignibus additamenta ex commentariis hausta. Ut nonnulla exempla e multis deprompta afferam:

flumen Amphrysus:

Verg. Georg. III 1 sq.:

Te quoque, magna Pales, et te, memorande, canemus,
pastor ab Amphryso . .;

Servius ad hos versus adnotat: „Amphrysus fluvius est Thessaliae, circa quem Apollo spoliatus divinitate ob occisos Cyclopes Admeto regi pavisse armenta dicitur“; quas Vergilii commentariique Vergiliani enarrationes Vibius ita refert: „Amphrysus Thessaliae, ubi Apollo Admeti pecus pavisse dicitur;“

flumen Phacelinus:

Sil. Ital. XIV 260:

mille Thoanteae sede Phacelina Dianae;

Phacelinum esse flumen idque iuxta Peloridem fluens Sequester glossario aut lexico, quod eum in nonnullis Silii nominibus illustrandis adhibuisse suspicati sumus,

debet; refert enim in fluminibus haec: „Phacelinus Siciliae iuxta Peloridem, confinis templo Dianae;“

flumen Varus:

Lucan. I 404:

finis et Hesperiae, promoto limite, Varus;

schol. ad h. v.: „promoto limite] i. e. remoto, quia alibi, longe a Rubicone terminat Italiam;“ Vibius haec refert: „Varus; hic nunc Galliam ab Italiam dividit, ante Rubicon;“

fons Salmacis:

Ov. met. XV 319:

cui non audita est obscenae Salmacis undae?

Salmacim esse fontem eumque Cariae aliunde Vibius deprompsit; exhibet enim in fontibus haec: „Salmacis Cariae, ex quo qui bibit, mollescit, id est obscenus fit.“

Neque vero semper enarrationes Vibianae in iis auctorum versibus, a quibus Vibii nomina pendere in indice nostro diximus, vel in commentariis hos versus illustrantibus insunt; e. gr. cf. fluvium Alpheum, quem, quamquam Vibii verborum „qui per mare decurrens in Siciliam insulam Arethusae fonti miscetur“ neque in Verg. Georg. III 19 quicquam exstat neque in eorum, qui nobis praesto sunt, commentariorum Vergilianorum ad hunc versum adnotationibus, tamen ex hoc, quem dixi, versu Vergiliano fluxisse propter fontium seriem necesse esse scimus. Itaque Sequester hic duos Vergilii locos inter se contaminavisse videtur, dico Georg. III 19:

. . Alpheum linquens lucosque Molorchi

et Aen. III 694 sqq.:

. . Alpheum fama est huc Elidis amnem
occultas egisse vias subter mare; qui nunc
ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis;

neque enim verisimile est Vergilii enarratorem, quo Vibius usus est, de Arethusa fonte adnotationem fecisse ad Alpheum flumen, cum, qua quidem necessitudine Alpheus et Are-

thusa coniuncti sint, ipse Vergilius nulla vocula significaverit. Atque nomina hoc modo ex duobus fontium Vibianorum locis confusis orta etiam alia nonnulla in Vibii opusculo leguntur; iterum Vergilium bis compilavit in fluvio Aniene. Vibii enim verba „Anien per Tiburtinorum fines in Tiberim fluit" pendent a Georg. IV 369:

unde pater Tiberinus, et unde Aniena fluenta

verbaque „ab Aniene filio Apollinis" ab Aen. III 80:

rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos;

nam Anienem fluvium nominatum esse ex Aniene, filio Apollinis, non erat, cur Vergilii interpres, quem Vibius adhibuit, ad Georgicorum versum citatum adnotaret, ad Aeneidos versum citatum erat, cur illud commemoraret (cf. Servii ad h. v. adnot.). Eiusdem poetae duos locos in Eridano flumine Sequestrem contaminavisse huius verba „Eridanus Galliae cisalpinae, qui et Padus" cum Georg. I 481 sqq.:

proluit insano contorquens vertice silvas
fluviorum rex Eridanus, camposque per omnes
cum stabulis armenta tulit . .

congruentia et ea, quae sunt „ubi Heliades mutantur in populos", ex schol. ad Aen. VI 659 (cf. Serv.: „postea eius [Phaethontis] sorores flendo in populos versae sunt, ut in decimo ⟨190⟩ populeas inter frondes umbramque sororum") arcessita demonstrant. Idem valet in Strymonem amnem, de quo Vibii glossa „Strymon Thraciae plurimo gelu strictus" contaminata esse videtur ex Verg. Georg. I 119 sqq.:

. . nihil improbus anser
Strymoniaeque grues et amaris intiba fibris
officiunt aut umbra nocet

et ex Georg. IV 507 sqq.:

septem illum totos perhibent ex ordine menses
rupe sub aeria deserti ad Strymonis undam
flevisse et gelidis haec evolvisse sub antris.

Duos Sequester confudit auctores in fluminibus Arare, Gange, Peneo, Tigride. Vibiana enim vocabula „Arar

Germaniae e Vogeso monte miscetur Rhodano" propter fontium seriem ex Verg. Ecl. I 62:

aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim

(cf. Serv.) fluxerunt et verba „ita lene decurrit, ut vix intellegi possit decursus eius" optime congruunt cum Lucan. VI 475 sq.:

Maeander direxit aquas, Rhodanumque morantem
praecipitavit Arar [1]).

De Gange flumine glossae verba, quae sunt „Ganges in Oriente Indiam cingens", Vibius arcessivit ex Verg. Georg. II 137:

nec pulcher Ganges atque auro turbidus Hermus

et ex schol. ad h. v. (cf. Serv.: „Ganges Indiae fluvius, per quem provincia significatur") eaque, quae sunt „latissimus, quem Alexander post Oceanum navigare timuit, qui solus adversus Orientem fluit", ex Lucan. III 230 sqq.:

qua colitur Ganges, toto qui solus in orbe
ostia nascenti contraria solvere Phoebo
audet et adversum fluctus impellit in eurum.
Hic ubi Pellaeus post Tethyos aequora ductor
constitit et magno vinci se fassus ab orbe est

sumpta esse elucet inde, quod Sequester errat cum Lucano et Alexandrum, cum ad Oceanum accessisset, Gangem navigare timuisse et hoc flumen solum in orientem fluere referens. [2])

---

[1]) Inter versus citatos, quamquam iis, quae Vibius refert, videntur contrarii, et Vibii de Arare flumine enarrationem tamen optimam esse consensionem ex Lucan. VI 453 sqq. patet; cf. schol. ad v. 475 sq.: „Rhodanum] et hoc est contra naturam; nam Rhodanus velocissime currit, Arar vero lentissime." Concentus inter Vibium et Caes. bell. gall. I 12, 1: „flumen est Arar, quod per fines Aeduorum et Sequanorum in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat, iudicari non possit," ad quem animum nostrum Hermannus Blass (l. l. p. 134 adnot. 1) advertit, fortasse inde profectus est, quod Lucani interpres a Vibio in usum vocatus Caesarem adiit.

[2]) cf. Oberlin l. l. p. 113 sq.

Vibii ad flumen Peneum verba „Thessaliae, ubi silvae, quas Tempe vocant“ referunt Verg. Georg. IV 317:

pastor Aristaeus fugiens Peneia Tempe

(cf. Prob.) vocabulaque „hunc Bebryces possederunt“ Lucan. VI 371 sq.:

et quisquis pelago per se non cognitus amnis
Peneo donavit aquas

et VI 381 sq.:

ut primum emissis patuerunt amnibus arva,
pinguis Bebrycio discessit vomere sulcus;

cf. schol. ad v. 382: „et postquam evacuata est ab aqua, tunc Bebrycii coluerunt illam terram.“

De Tigride flumine glossa „Tigris Parthiae, qui sub terra means Rubro mari miscetur“ composita est ex Verg. Ecl. I 62:

aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim

atque ex Lucan. III 261 sqq.:

at Tigrim subito tellus absorbet hiatu
occultosque tegit cursus rursusque renatum
fonte novo flumen pelagi non abnegat undis.

Neque vero Vibius Sequester, tametsi Vergilium Lucanumque contaminavit, Ovidio ad additamenta adicienda usus esse videtur; quod demonstrent tria flumina Lycus, Kaicus, Hypanis, quae leguntur intra Ovidii metamorphoseon libri XV versus 273—286:

sic ubi terreno Lycus est epotus hiatu,
exsistit procul hinc alioque renascitur ore.
Sic modo combibitur, modo tecto gurgite lapsus
redditur Argolicis ingens Erasinus in arvis.
Et Mysum capitisque sui ripaeque prioris
paenituisse ferunt, alia nunc ire Kaicum.
Nec non Sicanias volvens Amenanus harenas
nunc fluit, interdum suppressis fontibus aret.
Ante bibebatur, nunc, quas contingere nolis,
fundit Anigrus aquas, postquam, nisi vatibus omnis
eripienda fides, illic lavere bimembres
vulnera, clavigeri quae fecerat Herculis arcus.

Quid? non et Scythicis Hypanis de montibus ortus,
qui fuerat dulcis, salibus vitiatur amaris?

Unde etsi Sequester Anigrum amnem eiusque insigne mutuatus est haec referens: „Aniger, qui ex cruore Centaurorum, quos Hercules interfecit, odore suo advenientes fugat, cum fuerit dulcissimus,“ tamen ceterorum fluviorum consilio suo aptissima omisit neque illis fluminibus ex alio fonte in opusculum suum iam receptis addidit (Hypanis Kaicusque deprompti sunt ex Verg. Georg III 370, Lycus ex Georg. IV 367); quin etiam de Erasino flumine ex Ovidio ipso (met. XV 375 sqq.) accito nihil nisi „Erasinus Argolicae“ refert. Utrum Vibius ea, quae Ovidius in met. XV v. 280 de Amenano flumine refert:

nunc fluit, interdum suppressis fontibus aret,

ad hunc amnem ipsum quoque ex Ovidio ipso sumptum adnotaverit necne, propter textum corruptum difficile est diiudicatu.

Neque in Vibii libello alia desunt nomina, quibus Sequestrem nomina non semper eadem ratione composuisse demonstretur. Silentio enim praeteriit et Marsyam in Maeandrum incidere, quod in aliis fluminibus mentione dignum putavit (cf. flumen Atesim: „Atesis in Padum decurrit,“ Apidanum: „Apidanus, in quo Enipeus, Melas, Phoenix miscentur; ipse in Peneum decurrit“) et Hermum esse auriferum (cf. amnes Arimaspam: „Arimaspa, unde aurum Scythae legunt,“ Pactolum: „Pactolus . .. qui decurrens aurum trahit“), quamquam de Marsya apud Lucanum haec scripta videmus (III 206 sq.):

qua celer et rectis descendens Marsya ripis
errantem Maeandron adit mixtusque refertur

et de Hermo apud eundem haec (III 209 sq.):

passaque ab auriferis tellus exire metallis
Pactolon, qua culta secat non vilior Hermus

atque apud Vergilium haec (Georg. II 137):

nec pulcher Ganges atque auro turbidus Hermus;

etiam de Massico monte ex Verg. Georg. II 143 deprompto:

sed gravidae fruges et Bacchi Massicus humor

nihil nisi „Massicus Campaniae in Falerno“ refert (cf. montem Arium: „Arius . ., unde vinum Ariusium“) et Apollinem Magnamque Matrem deorum ex Cyntho Cybeloque montibus (schol. ad Verg. Georg. III 6 [cf. Prob.] et Aen. III 111) nominatos esse Cynthium et Cybelen (cf. montes Clarium: „Clarius . ., a quo Apollo Clarius“ et Cyllenium: „Cyllenius . ., unde Mercurius Cyllenius“) quod Vibius reticet miros nos habet. Duo alia exempla Cephisus et Nilus fluvii sunt; quorum illum esse fatidicum (cf. Lucan. III 174 sq.: quos impiger ambit fatidica Cephisus aqua), hunc per septem ostia mari interno misceri (cf. Verg. Aen. VI 800: et septemgemini turbant trepida ostia Nili) Vibius silentio praeteriit. Et hac ipsa de causa, quod nominum insignia non raro praeteriit, Vibium non ipsum auctores adiisse, sed ex commentariis tantum in illos compositis sua hausisse videri fortasse quispiam dixerit. Quod secus esse apparet cum inde, quod miraremur, si poetas temporibus suis notos Sequester non ipsos compilavisset, tum inde, quod saepe optimum inter Vibium illosque poetas concentum deprehendimus; cf.

flumen Anigrum: Ov. met. XV 281 sqq.:

ante bibebatur, nunc quas contingere nolis
fundit Anigrus aquas, postquam, nisi vatibus omnis
eripienda fides, illic lavere bimembres
vulnera, clavigeri quae fecerat Herculis arcus,

quos versus Vibius ita refert: „Aniger, qui ex cruore Centaurorum, quos Hercules interfecit, odore suo advententes fugat, cum fuerit dulcissimus;“

flumen Gallum: Ov. fast. IV 363 sq.:

inter, ait, viridem Cybelen altasque Celaenas
amnis it insana, nomine Gallus, aqua;

Vibius: „Gallus in Phrygia, unde qui bibit insanit more fanatico.“

lacum Hammonis: Ov. met. XV 309 sq.:

. . medio tua, corniger Ammon,
unda die gelida est, ortuque obituque calescit;

Vibius: „lacus Hammonis Africae, qui ortu solis et occasu incandescit, reliquo tempore gelidum est;“

flumen Anaurum: Lucan. VI 369 sq.:

quique nec umentes nebulas nec rore madentem
aera nec tenues ventos suspirat, Anaurus;

Vibius: „Anaurus Thessaliae, ita denominatus, quod ex se neque auram neque nebulam emittat;“

flumen Titaressum: Lucan. VI 375 sqq.:

solus in alterius nomen cum venerit undae,
defendit Titaressus aquas lapsusque superne
gurgite Penei pro siccis utitur arvis;
hunc fama est Stygiis manare paludibus amnem;

Vibius: „Titaressus Thessaliae, qui et Orcus, in Peneum decidit nec ei miscetur, sed super eum funditur; quem Stygia palude crescere quidam adfirmant;“

praeterea conferas, quaeso, quantus sit concentus inter lacus in Athamania (Ov. met. XV 311 sq.) atque in Aethiopia (ibid. 320 sq.) et Vibii horum nominum enarrationes. Quin etiam ad verbum inter se concinunt Vibius eiusque auctor in flumine apud Cicones ex Ov. met. XV 313 sq. deprompto:

flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
viscera, quod tactis inducit marmora rebus;

Vibius: „apud Cicones flumen est, cuius liquor epotus praecordia vertit in silicem et rebus tactis marmora inducit.“

Ex hoc igitur inter Vibii et Lucani Ovidiique verba concentu satis evincitur Sequestrem ipsum hos poetas adiisse, neque, quod de Lucano atque Ovidio dicitur, tametsi inter Vibium et Vergilium Siliumque tantus concentus non deprehenditur, quantus inter Sequestrem atque Ovidium Lucanumque, tamen idem etiam in illos poetas cadere non putandum est.

III.

Tertium est propositum, ut de nominibus a Vibio Sequestre omissis dicamus. Nam non insignia tantum haud paucorum nominum is neglexit, sed etiam nominum ipsorum, quae Vibii consilio aptissima in Vibianis fontibus leguntur, in indicem suum non recepit satis magnum numerum. Quamquam ex reliquis Ovidii Siliique libris, quoniam parvas horum poetarum partes Sequester in usum vocavit, nomina desiderari non ita miramur, tamen etiam eorum, quos Vibium adiisse exploratum est, librorum haud pauca flumina, fontes, lacus, nemora, paludes, montes, gentes apud Vibium non leguntur. Quod non minus in Vergilium Lucanumque quam in Silium atque Ovidium valere multa nomina, quae absunt ab indice Vibiano, demonstrant. Desunt autem haec nomina Vergiliana:

tria flumina: Mella (Georg. IV 278), Simoeis (Aen. I 100 alib.), Phlegethon (ibid. VI 265 alib.),
unus fons: Albula (ibid. VII 83);
duo nemora: Gryneum (Ecl. VI 72), Argileti (Aen. VIII 345);
una palus: Laurentia (ibid. X 709);
quattuor montes: Cerauni (Georg. I 332 alib.), Homole (Aen. VII 675), Severus (ibid. VII 713), Garganus (ibid. XI 247);
quadraginta duae gentes: Britanni (Ecl. I 66 alib.), Parthi (ibid. I 62 alib.), Siculi = Sicani (ibid. II 21 alib.), Dardani (ibid. II 61 alib.), Poeni (ibid. V 27 alib.), Sabelli = Sabini (Georg. II 167 alib.), Ligures (ibid. II 168 alib.), Romani (ibid. II 172 alib.), Ausonii (ibid. II 385 alib.), Etrusci (ibid. II 533 alib.), Grai (ibid. III 90 alib.), Belgae (ibid. III 204), Bisaltae (ibid. III 460), Iapyges (ibid. III 475), Cyclopes (ibid.

IV 170 alib.), Mysi (ibid. IV 370), Maeonii (ibid. IV 380), Teucri (Aen. I 38 alib.), Argivi (ibid. I 40 alib.), Achivi (ibid. I 242 alib.), Phryges (ibid. I 468 alib.), Amazonides (ibid. I 490), Pelasgi (ibid. I 624), Phoenices (ibid. I 670 alib.), Myrmidones (ibid. II 7 alib.), Dolopes (ibid. II 7 alib.), Lacedaemonii (ibid. III 328), Chaones (ibid. III 334), Maurusii (ibid. IV 206), Latini (ibid. V 568 alib.), Hircani (ibid. VII 605), Centauri (ibid. VII 675), Aeolii (ibid. VIII 454), Tyrrheni (ibid. VIII 507 alib.), Galli (ibid. VIII 656), Dahae (ibid. VIII 728), Aetoli (ibid. X 28 alib.), Locri (ibid. XI 265), Aurunci (ibid. XI 318), Umbri (ibid. XII 753);

et haec Siliana libri XIV:

duo flumina: Phlegethon (v. 61), Achaetus (v. 268);

unus fons: Arethusa (v. 53 alib.),

duo montes: Hymettus (v. 199, Nebrodes (v. 236)[1];

et haec Lucaniana:

decem flumina: Rhodanus (I 433 alib.), Cinga (I 430), Liger (I 439), Trebia (II 46), Sapis (II 406), Sena (II 407), Iader (IV 405), Tagus (VII 755), Dipsas (VIII 255), Simoeis (IX 962);

unus fons: Aponus (VII 193);

decem montes: Cebennae (I 435), Cerauni (II 626 alib.), Chaonius (III 180), Taurus (III 225 alib.), Garganus (V 380 alib.), Mimas (VII 450), Casius

---

[1]) Ex eo, quod supra p. 40 sq. de gentium Vibianarum fontibus dictum est, earum Silii, Lucani, Ovidii, quae in Vibii opusculo desiderantur, gentium supervacaneum est indicem componere.

(VIII 470 alib.), Voltur (IX 185), Hyblaeus (IX 291), Matinus (IX 485);

et haec Ovidiana met. libri XV:

unum flumen: Sybaris (v. 315 sq.);

unus lacus: Pheneus (v. 332).

Atque ad hanc quaestionem, qua de causa illa haud pauca nomina ab indice Vibiano absint, hae quattuor causae, quamquam ea vix plane potest solvi, aliquantulum solvendam aptae reddi posse videntur. Primum, tametsi Vibius ipse in prooemio dicit *quanto ingenio ac studio . . apud plerosque poetas fluminum mentio habitast, tanto labore sum secutus eorum et regiones et vocabula et qualitates* et *fontium etiam et lacuum paludumque et montium nemorumque et gentium, qua tamen persequi potui, sicut amnium huic libello . . nomina subieci,* eum in indice suo corradendo parum diligentem nonnulla nomina praeteriisse tenendum erit; deinde non pauca nomina Sequester videtur omisisse consulto, in quorum numero reponenda videntur et nomina derivata — cf. nemus Gryneum (Verg. Ecl. VI 72), paludem Laurentiam (Aen. X 709), montes Hyblaeum (Lucan. IX 291) et Chaonium (id. III 180), quae respiciunt ad Gryniam, Laurentum, Hyblam oppida atque ad gentem Chaonum — et nomina earum gentium, quae fabularum sunt — cf. Cyclopes (Verg. Georg. IV 170 alib.), Maeonios (ibid. IV 380), Argivos (Aen. I 40 alib.), Amazonides (ibid. I 490), Pelasgos (ibid. I 624), Maurusios (ibid. IV 206), Centauros (ibid. VII 675) al. Tum nonnullorum nominum iam una cum aliis nominibus commemoratorum separatim mentionem non facit Vibius; in testimonium vocentur quattuor exempla ex multis deprompta: flumen Rhodanus (Luc. I 433 alib.) iam commemoratur in Vibii de Arare (Verg. Ecl. I 61 sq.) Isaraque (Lucan. I 399) fluminibus glossis[1]): „Arar Germaniae e Vogeso

[1]) Rhodani fluminis enarrationem, quae est *Rhodanus Galliae Lugdunum et Avenionem decurrens atque Arelaten mari Tyrrheno miscetur,* e Vibii indice esse eiciendam supra p. 37 demonstratum est.

monte miscetur Rhodano" et „Isara Galliae currrit in Rhodanum";

flumen Sybarim (Ov. met. XV 315 sq.) in glossa de flumine Crathi (ibid.) scriptum videmus: „Crathis confinis Sybari capillos facit aurei coloris";

fontis Arethusae (Verg. Aen. III 694. Sil. Ital. XIV 53 alib.) Vibii de Alpheo flumine (Verg. Georg. III 19; Aen. III 694 sqq.) glossa mentionem facit: „Alpheus Elidis, qui per mare decurrens in Siciliam insulam Arethusae fonti miscetur";

montem Casium (Lucan. VIII 470. 858 alib.) commemorat Vibius in Orontis fluvii enarratione (ibid. 214): „Orontes Syriae ex monte Casio."

Postremo ne id quidem neglegendum videtur, ut nonnulla Vibiana nomina librariorum neglegentia intercidisse iam supra flumina Asinius Amenanusque, lacus in Athamania et in Aethiopia, gentes Apulorum et Assyriorum demonstraverunt, ita etiam alia Sequestris nomina eodem casu excidisse non improbabile esse.

Albertus Pueschel de vita sua.

Natus sum in oppido Anhaltino, quod Raguhnum vocatur, a. d. VI. Kal. Apr. anni MDCCCLXXXIV patre Georgio divini verbi ministro, matre Sophia e gente Richter, quos superstites summa pietate colo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus in sextam gymnasii Bernburgensis classem receptus sum. Vere anni MDCCCCII maturitatis testimonio instructus Tubingam me contuli studiis philologicis et historicis vacaturus, unde post sex menses Berolinum migravi; ibi per ter senos menses moratus universitatem Halensem cum Vitebergensi consociatam adii, cuius civis per duos annos fui. Disciplina usus sum Tubingae vv. dd. Schwabe, Herzog, Schmid, Busch, Spitta, Berolini vv. dd. Diels, de Wilamowitz-Moellendorff, Guil. Schulze, Heinze, Hirschfeld, Ed. Meyer, Lenz, Schmitt, Paulsen, Dessoir, Lasson, Halis vv. dd. Dittenberger, Blass, Wissowa, Robert, Muff, Wilcken, Hertzberg, Lindner, Heldmann, Riehl, Vaihinger. Proseminarii philologici, quod moderabantur vv. dd. Diels et de Wilamowitz-Moellendorff Berolini, Halis v. d. Blass per quater senos menses, seminarii per duo semestria regentibus Dittenberger, Blass, Wissowa sodalis fui ordinarius. Societatibus suis ut interessem historicis vv. dd. Hirschfeld, Ed. Meyer, Lindner, Wilcken, Heldmann, paedagogicis v. d. Fries, philologicis v. d. Blass benigne concesserunt. Quibus viris omnibus, imprimis vv. dd. Wissowa et Blass, optime de me meritis gratiam habeo maximam semperque habebo.

FEB 22 1954